

Y 6
3653



a.k.



Q. N. 138, 24.

Yb
3653

ORATIO
SAECULARIS

Dicta

in

IVBILAEO ALTERO
GYMNASII HALLENSIS EVANG. LVTH.

in aede Gymnasii

A. D. XXIX. AVG. clolccc LXV.

A

M. IOANNE PETRO MILLERO

RECTORE.

QVI SIMVL

NATALEM GYMNASII CCI.

A. D. XXVIII. AVG.

ACTV ORATORIO H. L. Q. C. CELEBRANDVM

RITE EXTREMVM INDICIT.



HALLAE MAGD.

TYPIS EXSCRIPSIT IO. IVST. GEBAVER

clolccc LXVI.





quod superioribus annis, **AVDITORES SVO QVISQVE ORDINIS ET MERITORVM ENCOMIO COMPELLANDI**, hoc ipso mense, quo erat urbs nostra aliquoties hostilibus copiis paene oppressa, inter spem et metum trepidantes vix audebamus optare, tantum abest, ut futurum consideremus: id maximo heri et vere divino beneficio congratulantibus bonis omnibus civitati huic et scholae nostrae contigisse, jure nostro meritoque laetamur. Praesto sunt Patres, quos miles fidei nostrae et pecuniae imperatae obfides secum *) e complexu nostro abduxerat: communibus studiis de salute publica instauranda, stabilienda, amplificandaque certatur: unus patriae suorumque amor pectora complet: fervent litterarum, fervent artium quarumcunque; fervent, ut verbo dicam, pacis illa omnia humanissima mitissimaque studia. Ipse vero maximi REGIS fervor, quae belli impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata sunt, excitandi, quid? quod ad altius, quantumcunque humanae res ferunt, fastigium evehendi, ipsaeque regiae nuptiae **), quotus cordationum quisque est, cui tam fausta haec omnia erectum ad bene de rep. sperandum signum minus esse videantur? Quae autem aliarum civitatum misera et illacrimabilis fortuna fuit, ut pace reddita, defuerint; belli scilicet facibus consumpta ac penitus deleta, in quibus supplicationes laetae religiose agitantur, templa: ea tam longe a nobis absuit, ut, in qua aede sacra supplices preces nostrae furentibus armis et flebiles voces exaudirentur ***), in ea jam lacti-

A 2

- *) Pragam, deinceps vero Norimbergam saeviente sex annos amplius Marte.
- ***) Sereniss. Principis FRID. WILHELMI, Principis hereditarii Borussiae cum Ser. Principe ELIS. CHRISTINA ULRICA, Duce Brunsvico-Luneb. a. d. 17. Jul. 1765. celebratae.
- **) Supplicationes a Rectore & tribus superioribus Collegis bis singulis hebdomadibus instituebantur.



laetitia et gratiarum actionibus personent laetissime omnia. Servatum est factum, tectum, integrum inter tot armorum furores Martisque ruinas bonarum artium domicilium hoc: belli vestigium nullum, senii tantummodo plura apparent, quae vero, ut in senibus rugae, ita in vetusta bonarum mentium officina tanto plus venerationis habere censenda sunt, quanto illustrius est servatricis illius inter tot fatorum conversiones ac temporum, rerumque publicarum vicissitudines propensae huic civitati providentiae DEI O. M. monumentum. Posteaquam enim ducentos ante annos pubi hujus urbis omni humanitate et pietate imbuendae exornandaeque dicatum fuit hoc monasterium, semel tantum in tam longo temporis spatio, pestilentia videlicet saeviente *), Musarum voces in illo conticuere, nec unquam optimarum artium studia intermissa sunt, nisi, quantum sciam, eo die bello tricennali, quo barbarus, divina humanaque omnia impio conculcans pede, tanquam ferro armatus latro, sacra haec limina perrumperet et furoribus suis ac latrociniiis omnia completeret **). Sed defuncta est hoc maximo suo periculo schola nostra; erepta est flammis illis, quibus vicinae olim aedes conflagraverunt; defuncta est eo quoque periculo, quod praesentissimum erat, cum non olim modo, verum etiam proxime pars aedium caeli fulmine tangeretur ***). Haec vero, quae uni DEO, rerum cunctarum moderatori beneficia debemus, quidni quanta possumus maxima hilaritate et religione, publice celebranda existimemus? Sed vero majus adhuc superest divini favoris testimonium. In illis enim bellis, quibus maxime cum universa Germania et ager Magdeburgicus, tum vero alma haec civitas nostra misere fuit et atrociter conquassata, haud aliud majus periculum erat extimescendum, quam ne, ut incerti sunt bellorum exitus et anceps fortuna, Romani Pontificis impotenti injustaeque dominationi ex iniquissima illa, quae *restitutions* vocatur, lege, sacra iterum Protestantium omnia subicerentur. Nam Gymnasii quidem hujus quae nunc sunt, ea illi Monachorum ordini, cui a Francisco Assisio nomen est, propria olim fuisse, nemo nostrum adeo impudens est, qui aut ausit negare, aut adeo ignarus, ut ex me primum discere eum oporteat. Haec ipsa vero bonorum alienorum possessio quodsi injuste in nos translata esset, non est dissimulandum, hodierna nostra gaudia, festaque sollempnitatem propius ab injustitiae magna & gravi turpitudine esse abfuturam.

Faciendum igitur putavi AA. quantum id per vos, aut per ingenii mei mediocritatem liceat, brevi hac oratione efficere, ut, *juste, utiliter atque pie Franciscanorum hoc olim monasterium, in publicam christianae juventutis scholam mutatum esse* cordatorum cuicumque probetur. Quam quidem disputationem

*) a mense Julio 1682 usque ad Mart. 1683.

**) Die 16. Mart. 1637. Quae hic attinguntur fata urbis & scholae, ea vero copiosissime descripta sunt in perill. de FREYHAVPT *Beschreibung des Saalkreises*. Tom. II. p. 193 - 205. et passim.

***) a. d. 16. Mart. 1764. in domicilio Recti.



nem cum ad obtundendos Monachorum clamores et strepitus, tum ad honorem puriorum sacrorum, et qui ea profitentur, pertinentem, spero benevola a vobis auditione iri exceptum.

Heri enim, quum ex hoc ipso loco audirem cum sacra, tum saeculari, utraque autem copiosissima et gravissima oratione *) hanc nostram felicitatem concelebrari, quod, quae avitae fuerit superstitionis sedes, ducentis abhinc annis perpoliendae ad omne decus Hallensi juventuti divinitus quasi quaedam melioris pietatis officina fuerit: obstrepentes his vocibus audire mihi visus sum Monachos, divosque et divas omnes illatae sibi tantae tamque atrocis injuriae vindices invocare ipsamque DEI fidem flagitare. Quid enim? An, quae in humanis privatisque cujuslibet rebus, justo domino ereptis, furti et rapinae ignominia notantur ablationes, eae in sacris hac turpitudinis nota vacare existimandae sunt? Annon vero sacrilegium tanto gravius et atrocius crimen est, quanto abominabilius est quodcumque in re, DEO, cultui sacro et servis DEI dedicata admiffum facinus? Habetis crimen AA. videamus, quam injuste illius insimulemur.

Id ut jam omnibus aequis rerum arbitris probetur, non opus est, ut ad primam bonorum ecclesiasticorum originem descendamus. Satis fuerit notare, quae princeps eorum pars sunt, *res sacras*, ob hanc unam causam ita appellari, quod cultui divino atque religioni exercendae dedicatae sint. Ex quo rerum genere *aedificia* sunt, in quibus non alia inesse *sanctitas* posse intelligitur, quam quae a piis actibus in iis suscipiendis proficitur. Qui aliam comminiscuntur, faciunt id superstitiose et temere. Sed tamen, nisi omnem pudorem exuerint, non negabunt, ista bona sive publica, sive privata liberalitate, non aliam ob causam in sacerdotes fluxisse, quam ut tanto commodius atque honestius rei divinae operarentur. Et quamquam eorum possessio atque usus in sacrum ordinem est translatus: non tamen minutum est hac translatione, multo minus sublatum jus illud, quod imperio civili in ea competit naturae quadam ipsius conditione, cui consentaneum nihil magis est, quam ut omnia ad *publicam civitatis salutem* referantur. Quod quoniam per se perspicitur, nolo in alienam Iureconsultorum provinciam excurrere et praeter hoc, quod in proximo, et quasi in manibus est, argumenta repetere. Teneamus id unum, quod nemo sanus aut aequus nobis facile negaverit, firmiter, *mutatis sententiis de re divina* et universa religione, *non esse amplius abrogatae repudiataeque superstitioni iis in aedibus locum, quae uni cultui gentis sacro destinatae sunt.* Quo magis laudanda et admiranda est Hallensis civitatis in Monachos aequitas: hos enim in his parietibus secum tuto habitare et in nido suo ita pingue fieri passa est, ut nihil fruges hoc consumere natum ignavorum genus turbaverit. Et fortassis duntius illi, cuti suae curandae potius, quam rei sacrae operari potuissent, nisi hoc ipso otio suo nequius ad infidias

*) S. V. FRID. EBERH. RAMBACHII et Consultiff. GE. DAV. THEBE-
SII, civitatis Syndici.



vitae purioris sapientiae praeconum struendas fuissent abusi *). Et tamen, non omnes veteres hi coloni migrare sunt iussi. In nostro enim hoc coenobio anseres isti usque ad annum primum et sexagesimum strepebant. Hoc vero, comneatu dato Halberstadtium aequis conditionibus sunt delati indulgentique SIGISMVNDVS Brandenburgicus, conciliatore *Paullo Praetorio*, Senatui id beneficii, ut suo sibi jure hoc purgatum jam a pristinis sordibus domicilium vindicaret iterum. Id quod eo aequius est factum, quod publica fide, intercedente auctoritate IOANNIS FRIDERICI Septemviri tum Saxonici, Vitembergae anno saeculi sexto et quadragesimo a summo praefule, IO. ALBERTO alegatis eo Senatoribus stipulatum fuit. Et multas alibi locorum de his sive aedibus, sive opibus, a Monachis relictis in longe alios, quam pios sacrosque usus fuisse translatas, ut palam est, ita etiam a Luthero ceterisque pietatis aequitatisque amantissimis viris publicis querelis gravissime fuit improbatum **).

Ab hoc consilio temere suscepto, quo longius aberat Senatus Hallensis, eo aequius est, ut, quae exsplendescit illius ex decreto cum singularis sapientia, tum publicae salutis cura, a nobis maximis laudibus praedicetur. Quum enim tres olim scholae hic essent, quae ultra trivialia litterarum elementa non assurgerent, statuebant pro sua prudentia patres, optime consultum iri publi urbis erudiendae, quodsi latior, in quo excurrat, omnemque emetiatur litterarum ambitum, rite aperiretur. Decem itaque doctores constituti sunt, quibus totidem provinciae, sensim a pueris peragranda, demandarentur. Quas ut junctis viribus et studiis ornarent, commodum obtigerat desertum hoc ab ignavo fucorum genere apiarium. Et credo, te ipsum, *Francisco*, mutata hac scena rerum delectari. Nam, quidni delectatum iri hoc adspectu arbitremur Franciscum, AA? Quid enim suavius aut laetabilius visu aut cogitatu est, quam pueriles catervas videre instar apicularum per florea litterarum rura vagari, flosculos ad mel conficiendum idoneos carpere, et quidquid attulerint, vel in suos libros, vel verius in animum suum diligentissimum quemque transfundere et quasi per favos digerere? Quid enim eorum, quod a *Monachis* in inerti illa et turpiter delicata vita agitur, comparari vel honestate, vel utilitate potest? si modo omnino aliquid agere dicendi sunt, quod vita hominis christiani et tam lauta vita dignum atque adeo omnino actio vitae appellandum sit. *Hymnos cantant?* at rustico carmine et agresti voce. *Preces fundunt?* sine mente et pietate, et praeter DEVM, qui tamen nihil illa otiosa compellatione delectatur, ad eos, quos numina tutelaria Romana tantum superstitione & avaritia confinxit. *At ceremoniis vacant?* quibus vero? inanibus et maximam partem ridiculis. Scilicet digna ut sumptibus et in monasteria collatis opibus pompa! quam spectatum convolvare olim huc cives. Quanam toto hoc scenico apparatu vel virtus, vel veritas divina illustrata est? quae

*) IVSTI IONAE, Antistitis Anno 1542. v. *Olearii* Halygraph. p. 254.

**) vide modo indicem ad SECKENDORFII *Hist. Luther.* voce *Ecclesiastica bona.*



quae caelestis sapientiae, aut etiam humanae pars mortalibus commendata? quae pietatis scintillula excitata? aut quod ullum virtutis exemplum ad imitandum propositum? Immo vero tantum abfuit, ut otio et, quorum mater nutrixque illud est, vitiisque diffuentes hi homunciones de commendanda amplificandaque cum doctrina, tum sanctitate christiana cogitaverint, ut in umbris potius suis secure cutem et ventrem curarent, gregis, quem deglubebant misere, salutem negligerent. Ut tamen, quod animis negabant, oculis auribusque saltem darent, mira de sanctis portenta, insulsa garrulitate, nec minori nequitia et in summum IESV CHRISTI numen et beneficium injuria pro suggestu delatrabant. Argumenta requiritis AA? neque enim quidquam invidiosius a me dicendum est. Nullum a me adferri opus est. Ipsi nobis reliquerunt, quo non vocalius ullum. Convertite modo oculos in pictam illam, rudi Mierva, at antiquam, tabulam: pendentem e pariete intuemini *Franciscum*, stigmatum sanctissimi Servatoris inaudita impietate notatum! Adspicite, si modo patientes sunt adpectus tanti facinoris oculi vestri. - - Sed video vos eam, hominis cum divino humani generis Sotere similitudinem toto animo et corpore herescere et vix oculis credere. Verum intuemini modo: nullum novitatis indicium. Omnia aetatem pontificiae superstitionis arguunt. De nefando sacrilegio nihil dicam. Ipsi jam eorum posterum delere cupiunt atrocissimi sceleris memoriam, redempturi, si possent, quantolibet pretio omnia illius *de conformitatibus S. Francisci* commentarii *) exempla. Sed ne possint, intercedit doctorum nostrorum vigilantia. Quae si quis cum nostro studio, adolescentes Christianos mature divina humanaque sapientia imbuendi totosque ad imaginem Christi veram, quae una pietate ipsius imitanda absolvitur, fingendi contendat, nae in iniquissimum fuerit, qui rerum tam exoptatam commutationem minus censeat universae rei christianae congratulandam. Sed non difficile erit, ipsis adversariis hoc testimonium extorquere, quod quia consilium Protestantium gloriosum est, non erit a me omnino praetereundum.

Nam ut illud taceam, monasteria non ad alia, quam in ecclesiae commoda instituta atque dotata intelligi posse: animadvertatis illud modo velim, coenobia primum quidem privatae pietatis causa esse erecta, intellexisse tamen, quotquot vulgo sapientiores essent, Abbates, ne otio illo sanctulo diffunderent omnino et corrumperentur solitarii, reliquam post preces temporis partem litteris excolendis perpoliendisque cum divina, tum humana sapientia animis tribuendam esse. Quod, si longiori mihi liceret esse, facile ex collectis a celeberrimo MABILLONIO in suo, *de studiis monasticis* libello, argumentis evincerem, nisi recordaremini, CAROLI M. sapientiam et in illustranda juvenandaque utraque rep. providentiam non ulla re magis declaratam fuisse, quam quod is tam in cathedralibus, quam in monasticis scholis, et in illis quidem cleri-

*) a Barthol. Pisano conficti. Est hujus fabulae nequissimae exemplum antiquum Miptum in bibliotheca Hallensis civitatis, de quo agit vir longe doctiss. D. IO. SAL. SEMLER in den hist. theol. Abhandlungen 1. Saml. S. 57: 107. (Halle 1760. 8.)



clericos, in his vero pueros christianos divinis humanisque litteris erudiendos pie graviterque statuerit *). Neglecta haec inde a Saec. XII. iterum studia, anon perverissimos sacri ordinis mores et incredibilem ignaviam arguunt? Quod quam impie factum sit, non est necesse, ut ego quidem doceam. Ipsi Pontificii tacite fatentur, mutandis multis, (utinam omnibus!) monasteriis in scholas. At vero non fecissent, (tutior enim est fugatis litteris superstitione et lautius regnat in tenebris, omnis ea videlicet lucis impatiens) non fecissent, inquam, nisi invitissimi intellexissent, quantum detrimenti rei suae attulerint adferantque in dies majus, Protestantium non alio, quam litterarum praesidio muniti disputatores. Ex quo enim tempore cum linguarum veterum, antiquitatum, historiae, geographiae et Chronologiae, iisque omnibus studiis, quibus perfectus S. Codicis interpret absolvitur; tum vero criticae arti, philosophiae praeterea, mathematicis disciplinis, orationi denique comendae exorandaeque totos sese dederunt nostri, omnes illae piarum fraudum, fabularum et malarum artium ceterarum nebulae, quibus veritas obscurabatur, dispulsae fuerunt, et una in conviciis, turpissimis criminationibus et haereticorum, ubi possent, atrocissimis suppliciis spes causae malae tuendae relinquabatur. Haec ipsa vero in dies magis evanescit mitescitque saeculo: reliquum igitur est, ut haereticorum libri quantacunque fieri poterit, vigilanter et severitate a finibus S. ecclesiae arceantur, ne obscuras illas artes et praestigias nimirum quotquot Laicorum iusto curiosiores aut acutiores sunt, retegant. Sed quemadmodum commune quoddam artium omnium est vinculum, incredibile dictu est, quam late universus litterarum ambitus in dies magis in orbe, qua Evangelii luce collustratus est, amplificetur, quantosque progressus fecerint nostri in omni genere studiorum **). Neque vero hic verborum testimoniis opus est, ubi a re ipsa multo certiora peti a nobis possunt? Quot enim, quae vos, AA. in adversariorum terris scholae et universitates prorsus aliam et nostris similiorem faciem recentissima memoria induerunt! Lisbonae quorundam de nostris doctorum libellos teri manibus juvenum catholicorum video ***). In Trevirensi atque Herbipolensi agro gloriosum videtur, ad Protestantium in litterarum cultura laudem quam proxime accedere et in ipsa sede Germanorum augusta, Viennensi academia ita fervere leguntur studia, ut de principatu

*) Collegi ipse olim testimonia scriptorum aequalium in notis ad b. MOSHEM commentationes & orationes Hamburgi 1751. cura mea editas in lucem p. 583-612. ut adeo hic repetendis iis debeam superfedere.

**) Mr. d'ALEMBERT dans ses *Mélanges de Littérature*, Tom. IV. p. 370. On ne peut s'empêcher d'avouer avec affliction la supériorité présente des Universités de la Partie Protestante de l'Allemagne sur les écoles Catholiques. Elle est si frappante que les Etrangers, qui voyagent dans ces pays et qui passent d'une Université Protestante voisine, croient en une heure avoir fait quatre cens lieues, ou vecu quatre cens ans, avoir passé de Salamanque à Cambridge, ou du Siècle de Scot, à celui de Neuton.

***) Testor hic compendii causa *Acta hist. eccles.* quae recentissima memoria Vinnariae prodierunt.

tu videantur nobiscum certare. Quanto majores igitur nostri sapientiores fuerunt, qui ducentis ante amplius annis perpexerunt, stabilimenta utrique reip. neque majora, neque illustriora constitui praeter divinas humanasque litteras, omnino aut debere, aut posse! Dudum vero est, quod sentiat ita nobiscum de dignitate et utilitate litterarum Benedictina familia *). Hujus vero exemplum qui aliis ordinibus et formulis se emancipaverunt in Romanensium coetu, cum jam quidem sequuntur, necesse est, ut taciti cupiant, dudum illud factum fuisse suis a majoribus. Nostros vero fecisse, quidni laudandum extolendumque conferent?

Convertite modo oculos in vicinam nobis Saxoniam, non proventibus magis terrae et frugum copia, quam ingeniorum multitudine felicem. Bone Deus, qui quantique rerum divinarum, legumque humanarum interpretes, naturae vero et salutaris artis consulti ac denique orationis peregrinae atque vernaculae artifices hanc unam provinciam totamque Germaniam aeternis ingeniorum monumentis suorum intra duorum saeculorum spatium illustraverunt! Scio equidem, cui haec, maxime felicissima foecunditas debeatur, matrem esse Lipsiam. Idem vero non ignoro, quae *collegia* vocantur ibi, domos, ignavorum olim Monachorum latebras et quasi saginas fuisse; praeterea non futurum fuisse tantum juvenum optimis litteris imbutorum proventum, nisi eo ex tribus illis, quas principales vocant, scholis tam insignis fieret quotannis confluxus. Ista vero Musarum domicilia illustria annon Monachis GERGIO Duce plena, a MAURITIO formandae ad omnem humanitatem publi Saxonicae optimo munificentiae exemplo inde ab anno Saec. XVI. quadragesimo tertio dedicata fuere? Huic autem beata tuis opibus, tuo ingenio et labore gens sapientissimo Principis consilio debes, quod non alia in Germania aut amoenitate agrorum et urbium, aut divitiarum magnitudine, aut denique ipsa morum elegantia ac suavitate anteferenda tibi censeatur. Abderitanae plebis pectora et Cappadocum ingeniis insulsiora Anglorum et Francogallorum arrogantia Germanis nobis tribuere olim sueverat: jam vero bardus ipse sit et impudentissimus, qui de Evangelicorum coetu eruditos ulla artium gloria exteris aequipandos neget. Neque, quibus hoc obtrectatoribus laudum nostrarum persuadeamus, argumenta longius sunt petenda: adeant modo Berolinum, intueantur ibi tot illustria ingenii humani ornamenta: admirentur artis portenta, fiantur eruditissimorum non minus, quam politissimorum hominum vere attica urbanitate morumque summa suavitate, evolvant libros, de rebus omnis generis cum eruditissime et gravissime, tum vero venustissimo dicendi genere scriptos. Conferant vero cum his saeculi nostri Athenis Madritum **) aut ipsam Romam summis olim ingeniis illustratam: tum sane futurum erit, ut novum quasi in veteri Germania orbem exstitisse, Germanosque adeo ad summum humanae sapientiae fastigium suo litterarum omnium studio elatos esse fateantur. Secundum hoc vero obstupescant sane tantam in una

B

pro-

*) in Francogallia maxime itemque in agro Bavarico.

**) v. Letter concerning the Spanish Nation by the Rev. Edward Clarke Lond. 1763. vers. germ. Koeler. epistola maxime quarta.



provincia urbium maximarum et omni opum et ornamentorum copia affluentium multitudinem, cum reliqua regna una saltem itemque altera illustri et ornata urbe superbire possunt. Scilicet tantus est in iis gentibus, quae puram castamque Servatoris disciplinam amplexae tuentur, ingeniorum excitandorum atque perpoliendorum ardor et in omni laudis genere et artium maxime ingenuarum tam fervens studium, ut de principatu unum omnium certamen esse videatur. Sed in tenebris jacerent omnia et tota, quanta quanta est, Germania alto adhuc somno esset obsepita, quodsi litterarum omnium lux ex plus quam cimmeriis illis tenebris maximo divino beneficio non effulisset. Quae vero pulsa superstitione, errorum agminibus profligatis, cleri Romani impotenti durissimaeque dominatione excussa, in civilem communemque vitam redundaverint commoda, copiose id et jucunde, si aut res postulet, aut temporis angustia ferret, a me declarari posset. Et tamen aliquis adhuc dubitaret, juste, utiliter et pie ignaviae ista domicilia, monasteria, in bonae mentis artiumque universarum officinas esse mutata? *)

Agamus igitur potius gratias, quantas possumus, maximas DEO, qui misertus humani generis, magnam illius partem errorum pestilentissimorum et superstitionis vinculis expeditam et in plenam libertatem vindicatum cum divinae omnis, tum etiam humanae sapientiae luce ita illustrare fuerit dignatus, ut, qui modo cupiant, nullam non felicitatis suae consequendae, ipsius vero gloriae amplificandae rationem cognoscere et consecrari queant. Quod beneficium tanto majus est a nobis omnibus reputandum, quanto latius et per omnes civitatis ordines funditur, et ad ipsam illam immortalem vitam extenditur. Neque enim pura, casta aut integra, quae una DEVM nobis conciliat, religio in mentibus errore ac superstitione occaecatis atque constructis esse potest. Quo magis boni omnes hodierno die mecum optabunt, ut rerum publicarum moderator et humanae omnis felicitatis parens, DEVS, hanc VOBIS, PATRES CIVITATIS longe meridissimi, optimam mentem servare velit, ut, qua huc usque indefessa et sapientissima cura rei nostrae scholasticae prospexistis, eadem Gymnasium hoc annorum mole et temporum malignitate haud mediocriter affectum, juvare, sublevare, conservare atque ornare haud gravemini **). Quod, quin facturi benevole sitis, eo minus dubitamus,

*) Usus sum hic iisdem fere argumentis, quibus Iesuitae aliarum familiarum propria olim domicilia et praedia, Protestantibus *restitutionis* illa lege a Ferdinando crepta, tribui sibi ad scholas suas aperiendas nutriendasque debere pugnabant v. SALIGII *Hist. der augsp. Confession* Tomo I. 810. et factio ipso haec argumenta probabat Pontifex p. 825. imo vero ad belli sumtus pensandos Principibus quaedam monasteria tradebat p. 826.

**) Non debeo hic silentio praeterire, edito a me M. Aug. 1763. i. e. calamitosissimo tempore nostro, Programmate ita motos & tunc, & postea quoque, ad misericordiam tam exterorum quam nostrorum civium animos, ut ad juvanda juvenum in sua egestate studia confluerint meas in manus CC. amplius Ioachimici: quibus, ut in posterum quoque dignissimis confuleretur quam optime, fatis est superque provivum quam fieri debuit



tamus, quo magis nostro uno amore et grati animi pietate delectati fuistis; patres bonos et indulgentes in hoc imitati, qui nullam aliam a filiis suis mercedem, quam felicitatis illorum laetiolem in dies adspectum desiderant. Neque vero melius, (optatis autem, quam optime posse,) de universa civitate mereri potestis, quam si illi mature de sapientibus, probis et piis civibus prospiciatis: eos enim est ea habitura olim praefectos, consules, doctores, opifices, quales vos ipsi tradideritis, ut, si quam optimos naeta fuerit urbs et sua aliquando felicitate laetetur, vestrae sapientiae et curae tribuendum hoc tantum et tam illustre beneficium publice sit professura posteritas.

Vos vero, *Ephori* hujus *Gymnasii* longe gravissimi atque meritissimi, dum jam honoris causa compello, facio id non tam officii causa et more majorum, quam potius animi gratissimi pietate singulari ductus. Nec quisquam est sive de carissimis collegis nostris, sive de juvenibus, qui me singularibus verbis prolixissimam voluntatem gratissimamque mentem omnium nostram pluribus verbis testari minus cupiat. Et quidni hoc publice profiteremur? qui singuli vestram pro nostra incolumitate, salute, immo commoditate indefessam et vere paternam curam quotidie sentiamus? Qam dum commemoro, videtur mihi *Gymnasium* ad novam sese spem erigere, ad vos, tanquam ad tutores et patres accedere, ac in vestram sese clientelam iterum de meliori commendare. Neque vero quidquam laetabilius esse illi poterit, quam ut **VOBIS** quam diutissime utatur salutis suae custodibus; secundum vero hoc, ut semper vestri similibus.

Ad extremum vero cum **VOBIS** quoque, *honoratissimi, conjunctissimique COLLEGAE* singularem hanc, quae nobis divino munere obtigit, felicitatem gratulor, facio id pro meo in vos studio, et pro mutuo illo, quo nos invicem complectimur maximo juventutis nostrae commodo, sincero concordique amore. Id vero dum facio, nescio quae severior animum fragilitatis humanae subeat cogitatio? Ut enim nunc quidem una in hac pube ornanda studia et labores omnes amica et suavi animorum consensione jungimus, ita, ut fluxa sunt humana omnia, futurum est, ut unus post alterum ex hac inferiori statione ad accipiendam ob servatos cives coronam in plenam quietis sanctorum et beatarum mentium civitatem evocetur. In quem deliciarum omnium locum, ubi aeternum una cum amantissimo Servatore nostro incredibili laetitiae sensu perfusi pii omnes et dedicati **DEO** animi victuri sunt, utinam vos omnes, carissimi nobis merito juvenes, quasi manu ducere, ut vere nostros, possemus!

Sed jam iterum nova, non tam formula, quam potius pietate sacra TIBI, Pater Domini nostri I. C. fiat haec domus, purae evangelicae doctrinae et artium bonarum, pietatis vero maxime christianae domicilium: sacra sunt pectora tam docentium, quam discipulorum!

B 2

Sed

debut, religiosissime. De supellectile *Gymnasii* litteraria insigniter intra decennium aucta, olim fortassis commodius dici poterit.



**
*

**
*

**
*

Reliquum est, ut, quemadmodum epulis olim apud Romanos teste Tullio, fides praecinuere, ego quoque animorum illi et bonae frugis convivio hac oratione ita cupiam praelusum, ut quotquot Musis favent, intelligant, jucundius, exoptatusque nobis quidem accidere nihil posse, quam si juvenes nostros benevola auditione ad majora studia acutere haud graventur. Recitabunt autem cras, in auditorio majore, specimina elaborata suo Marte

CAR. SIGISM. REPHVHN, Servestanus, orat. Lat. de *excellentissimo genere virtutis*;

IO. FR. DRESSLER, Hallensis, *virum vere magnum* pinget;

IO. HENR. DEDEKE, nostras, *lactum pii Christiani ex hac vita ad DEVM abitum* describet.

Quarum quidem Declamationum severitatem temperabunt familiaris confabulationis festivitate

IO. AVG. WOHLFART; CAR. FR. GVIL. ELLENBERG de ZINNENDORF; CAR. LEBERECHE BLAVFVS et GE. FR. THORMANN, Hallenses, *discessurum hinc Socratem* ita fingent, ut primus Philosophum, ceteri amicos cum ipso de immortalitate mentis nostrae disputantes facturi sint. Quos excipient AVG. CHRIST. FR. GVIL. LVDOV. de BODEN; FR. GVIL. FRAVENDORF; FR. CHRIST. HOFMANN, nostrates; HENR. RVDOLPH IONAS HOF, Schrapl. de *Imitatione* inter se colloquentur, Lampada tradituri IO. ANDR. WAGNER; IO. GE. LEOP. BVHLE; IO. AVG. PRASSER, Hallensibus; CAR. FRIED. TRAVGOTT KÜHNS, Trotha-NO, et MART. FR. SAM. KRAVSE, Güstensi sermonem collaturis inter se de puerilis aetatis felicitate.

PP. in Gymn. Hall. Evang. Luth. a. d. XXVII. Aug. clb Id cc LXVI.




ULB Halle
005 976 758

3







Farbkarte #13

B.I.G.

Yb
3653

ATIO VLARIS

DICTA
IN
EO ALTERO
LENSIS EVANG. LVTH.
DE GYMNASII
AVG. clolccc LXV.
A
PETRO MILLERO
RECTORE.

QVI SIMVL
I GYMNASII CCI.
D. XXVIII. AVG.
D H. L. Q. C. CELEBRANDVM
XTREMVM INDICIT.
LAE MAGD.

PSIT IO. IVST. GEBAVER
clolccc LXVI.

